



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum**

**Heser, Georg**

**Monachii, 1657**

291. Chrsitus vehementiùs accusatus tacet, & ad Herodem mittitur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. *Ioan. 18. v. 37. 38.*

**MEDITATIO CCXCI.**

*Christus vehementius accusatus tacet, & ad Herodem mittitur.*

I. **A**It autem Pilatus ad principes sacerdotum, & turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc. *Luc. 23. v. 4. & 5.*

II. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit. *Matth. 27. v. 12.* Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. *Marc. 15. v. 3.* Tunc dicit illi Pilatus: Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia? *Matth. 27. v. 13.* Pilatus autem rursus interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide, in quantis te accusant? *Marc. 15. v. 4.* Et non

M 4. respon-

respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. *Matth. 27. v. 14.*

III. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit, si homo Galilæus esset. Et ut cognovit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus. *Luc. 23. v. 6. & 7.*

## MEDITATIO CCXCII.

### *Gesta in domo Herodis.*

I. **H**erodes viso Iesu, gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. *Luc. 23. v. 8.*

II. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, & Scribæ, constanter accusantes eum. *Luc. 23. Vers. 9. 10.*

III. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illudit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad invicem. *Luc. 23. Vers. 11. & 12.*